



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia 5. Ioannes in deserto adhuc puer, omnibus delicijs, sed cœlestibus circumfluit. Ad Ioannem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

Et Libanus placidis loquitur sua gaudia ventis,  
 Cui viridi comit fronde corona caput.  
 Gaudia purpureo rosa pandit amena labello,  
 Et patulis narrat ver sua dona rosis.  
 Natus. iò natus, sua cui manus indice signet,  
 Dulce decus terris, quod noua sæcla uouent.  
 Applaudit placido Zephyri leuis ala susurro;  
 Æolysque sonant frondea regna tubis.  
 Ludit, & alterno certantes pondere cedros,  
 Vertit in umbrosos sylua canora choros.  
 Accinit & resonis auræ caua filia saxis,  
 Littoreoque redux murmurat vnda mari.  
 Et quis non hylari plausu sonore excitat aures?  
 Quis fileat, Verbo Vox vbi nata præit?  
 Ut genuit tetrico tot mœsta silentia vultu  
 Mundus; iò felix nunc tuba lata canet.

Elegia 5.

Ioannes in deserto adhuc puer, omnibus delicijs, sed cœlestibus circumfluit.

AD IOANNEM.

**D**esertis quocumque trahis vestigia campis,  
 Quaque vocat teneros mater Elisa pedes;  
 Sidereas circum proceres glomerare videres  
 Agmina, perpetuis agmina nexa choris.  
 Hic preno caput obsequio se sponte puello  
 Subijcit, in puero fit Leo pané puer.  
 Miris abit lustris lupus, & lupa raua latebris  
 Cedit, & hinnulei mater inerma specu.  
 Pardus & ipsa suis iam pardalis emigrat antris.  
 Ponit & immanes tigris amica minas.  
 Cerua simul sancto lac exprimit alma puello.  
 In puero hic hinnum credidit esse suum.  
 Denique frondosis Syriæ frondentis asylis,  
 Alta quod antra præmunt, densa vel umbra tegit.

*Ms P.  
 P. Joseph  
 Anselmi*

Q Aduola

Aduolat, & molli pueri vestigia linguâ  
 Prælambit, tenero fractus amore lupus.  
 Inclinant & amœna suas palmeta coronas,  
 Submittitque pari Cedrus honore caput.  
 Omne caput fontes, amnes sua cornua tollunt:  
 Prona sed vna suas Naiados vndat opes.  
 Ima labrusca diu, caput exerit ardua cœlo,  
 Et dulcis sterili vite racenus abit.  
 Inque vvas hederæ stirps educat alma corymbos.  
 Et rubet ignotis picta myrica rosis.  
 Glandiferam pomus comes induit obuia quercum,  
 Vlmus alit succis ebria poma suis.  
 Quot numerat Crispos penna Zephyritide fluctus  
 Æolus, aut tremulas ventilat aura comas.  
 Et tot delicias legit hinc, legit inde puellus,  
 Hic, vbi delicijs spes sibi nulla viret.  
 Ne mihi quis puerum desertis credat arenis  
 Degere, cui pauper laura sit aula specus.  
 Si breue quid saxi magnus quo secubat, hospes,  
 Temnis: at hoc ingens hospire crescet honos.  
 Non ego prætulerim tali Salomonida, arces  
 Spelæo, Superum quod chorus ales obit.  
 Sol tot vt astra breui vidit radiare cauernâ:  
 Rupe sub hac, paruum credidit esse polum.

*Elegia 6.*

**Ioannes Christum aqua Iordanis  
perfundit.**

**N**unc istis erit vsus aquis, quas voluit Iordan.  
 Influet angustum lymphæ beata caput.  
 Quantus honos! ibunt Nymphæ contingere Numen,  
 Nymphæ, queis auro carior vnda fluet;  
 Pulchrior & gemmis, nitido decor ibit in imbre,  
 Purus vt attigerit candida membra liquor.  
 Puluerens situs ergo Deo vestigia fuscet,  
 Aut pingui domini planta fiat vncta luto?

Hic